

Maji a. 1748. inita, reservato quidem beneficio tractatum pacis inde a Pace Westphalica, supremo regis dominio et superioritati subjectae sunt (b), excepto solum Comitatu Montisbeligardi, qui pristinam suam immedietatem et qualitatem feudi Imperii feminini cum suffragio in ordine Principum salvam servavit et incolumem.

(a) SATTLER Geschichte des Herzogthums Wirtemb. unter den Grafen P. I. pag. 181. Beyl. no. 124.

(b) DUVERNOY l. c. p. 48.

§. 46.

In specie Ducatus Wirt.

Sicuti autem Wirtembergia ex provinciis varii generis, dynastiis, comitatibus, aliisque ditionibus, sive feudalibus, sive allodialibus, jam olim constitit, quoad per Erectionem Ducatus in unum idemque corpus coaluit: ita pariter ipsa post Erectionem lautis quidem accessionibus, sed non unius ejusdemque generis locupletata est. Quare haud miraberis, adeo ex diversis ipsam constare partibus, eodem licet vinculo cum persona Ducis primogeniti conjunctis, et dum stirps mascula duratura est, unum corpus Fideicommissi universale constituentibus.

Sunt